

hiberi utiliter possunt Eclogæ S. B. Dilherri, quibus præmittuntur rudimenta Grammaticæ Syriacæ. Addi potest Grammat. Hebr. Chald. Syriaca Lud. de Dieu, vel Gramm. Hottingeri. N. T. Syriacum Trostii, vel Gutbierii. Lexicon Trostii. Methodus eadem, quæ in lingua Ebræa, usurpari potest. Viva vox Professoris imprimis audienda.

CAP. II.

*De disciplinis philosophicis futuro
Ecclesie ministro necessariis.*

§. I.



Nestimare quis posset, Philosophiæ cognitionem obesse potius futuro Ecclesiæ ministro, quam *prodesse*, cum non solum Apostolus *Col. 2. 8.* eam penitus damnare, sed & antiquissimi Patres tantum non convitiis eam proscindere videantur. Apostolus c. 1. graviter hortatur Coloss. Videte, attendite, ne quis sit *συλαγωγῶν ὑμᾶς διὰ τῆς φιλοσοφίας*, ne quis vos *deprædetur per Philosophiam.* *συλαγωγῆν* est deprædari, prædam in bello abducere, quod est victorum proprium: videtur igitur Apostolus Philosophiam damnare, quod per eam à Philosophis incauti quasi præda abducantur, & in perniciem præcipites dentur. Hinc antiquorum Patrum iniqua de Philosophis judicia. *Tertull. l. adv. Hermog.* eos hæreticorum Patriarchas appellare non dubitat. Idem lib. c. adversus Marcionem de Philosophorum ingeniis omnem hæresin animari scribit. *Ambros. l. 7. de fide. c. 3.* Arium omnem venenorum suorum vim in Dialectica disputatione constituisse dicitur.

B 3

§. 2.